Hieronymus
Distaviensis

Beati Thomae Oratio in anniversario celebrato.

# ORATIO
## IN ANNIVERSARIO
Ill^mi^ & Reuereñ Domini D. Hieronymi Comitis à Rozrazow, olim Episcopi Vladislauieñ & Pomeraniæ. &c.

IN ECCLESIA Collegiata S. Michaêlis in Arce Cracouieñ celebrato.

HABITA
*A. Rñdo Thoma Bucio I. V. D. ad eandem Ecclesiam Custode. Die ix Februarij.*
*M D C I.*



CRACOVIÆ,
Excudebat Simon Kempinius.
Anno Dñi. 1 6 0 1.

# IN ARMA.





*Hasce Roſas gelidi quas produxere Triones*
*Inuidit patrio Roma ſacrata, ſolo*
*Eliſij, mundo: ſæcliq; extrema prioris,*
*Huicce nouo; æternus ſed bene manſit odor.*

Albertus Kozupski Canon.
S. Michaêl. Crac.

# ORATIO.

NON eſt expectandum à me Auditores Ampliſ. vt Epiſcopi Vladiſlauieñ Hieronymi Comitis Rozrazouij mortẽ, quem ſuperiore anno Deus ex hac fluxa & caduca vita ad æternam euocauit, apud vos lachrymis proſequar vel lugendam vobis proponam. Quisquis enim queritur aliquem mortuum eſſe, queritur hominem fuiſſe, cum eadem nobis omnibus moriendi conditio ſit, quibusdam ſolum exitus interuallis diſtinguamur, vt alter citius præcurrat, alter tardius ſequatur. Hominem autem fuiſſe, queri, eum præſertim, cuius ornamentis neceſſariæ ad vitæ humanæ rationes moderandas doctrinæ, maxima ſane iactura carendum erat; vecordiæ eſſet ſimillimum. Illud ergo tantum reliquum mihi video, cuius me vos tàm illuſtri & Chriſtiana in defunctum pietate, atque iſta celebri frequentia admonetis; vt cum vniuscuiusque funus, ſit quædam tabula raſa, in qua demum vita hominis rectè exarari debeat, quod ante mortem vel veterum illorum ſapientum ſententia, nemo vnquam beatus dici, nemo integrè ante vltimam humanorum periodum prædicari poſſet: ſequar in eo voluntatem & iudicium veſtrum, vt quod vos, hoc iam decurſo anno, memoriæ ipſius inſcribendum communi & conſtanti ſenſu paſsim decreueritis, ex hoc loco

vna vobiſcum recognoſcam. Amplius enim laudare qui poſſum? cum & tribuere vltra quam par eſſet, offendere propius foret quam ornare; & vniuscuiusque mens, alia quidem in aures alia in animum admitat. Nollem etiam abuti beneuolentia & patientia veſtra, vt aliqua quæ publica fama ad vos perferre minus potuerit, inter laudes viri congeram. Maximas autem & præſtantiſsimas virtutes in viris magnis non ita facile ad quoſuis patere, & quo altiores eo magis ad externos tectas eſſe, non rarum eſt; quod omnia quę foras emanant, neceſſario niſi quem error delectet, ad vnum qui in occulto manet finem & qui totius conſilij eſt regula, referri debeant. Ex quibus nonnulla, licet vnus inter paucos hic ſim, qui penes ipſum aliquot annos verſatus, tãquam iis ad quos ſolet eſſe quispiam apertior melius perſpecta in medium adferre poſſem; eaq; vt non minimam admirationem, voluptatem certe non vulgarem, in animis piorum excitare poſſent: quod tamen liberalitate ipſius ad Eccleſiam hanc cuius Epiſcopis Vladiſlauieñ Iuspatronatus maxima ex parte competit, promotus, non parum ipſi debere videar; ſubuereri venit in mentem, ne forte quispiam minus ſibi exploratam narrationem meam, debita mea in defuncti memoriam obſeruantia metiri velit. Proinde abſtinendum mihi duxi penitus eiusmodi commemoratione, niſi quatenus vosipſi attentione veſtra, authores mihi & hortatores fueritis, vt etiam de penitioribus nonnihil aperiam atq; delicatiorũ aliquam partem vobis faciam.

Duo

Duo autem sunt, quæ vitam viri intuentibus, statim occurrunt, Vocationis Episcopalis præstantia & integritas, functionísque eiusdem zelus & scientia; tum Senatoriæ dignitatis prudentia & authoritas: vitæ vero priuatæ castitas & sanctimonia, morum constantia & grauitas, hæc tertio loco, eo pertinent, quæ attentioni vestræ debita recordabor. Attendite igitur & fauete.

Atque vt à vocationis præstantia & integritate ordiar, Aud: videor mihi illud D. Chrisostomi quasi de Rozrazeuio relatum agnoscere, qui ait. *quum de Ecclesiastica præfectura agitur; illi soli in medium prodeant, qui ita charitate reliquis excellunt, quantum corporis magnitudine Saul reliquum populum superauit, quum in Regem crearetur.* quod sapientissimus Stephanus Rex in ipsius nominatione diligenter obseruasse inprimis videtur. Nam cum Ecclesia Vladislauiensis ex promotione ad Archiepiscopatum Illustris. Dñi Stanislai Carncouij feliciter moderni vacaret, multos sibi offerebat, aulica illa prensatio, imò & propior quidam vt iam inoleuit gradus qui omnes tam præstanti Cathedra, & secundo inter Episcopatus loco posita sese potituros non desperabāt. Vt autē in omnibus Episcopatibus tàm inferioris quàm altioris loci inter ipsam functionem nihil interest, cum vtrobique oues, vtrobique pastor, eandem curam, scientiam, asiduitatem, & pascuorum fertilitatem poscere videantur; multum tamen refert, quum de ouilis amplitudine agitur, cui comittendum sit, cum non omnes tan-

tum complecti industria, valere iudicio, adniti diligentia possint, vt nisi rectè pauca prius curauerint, statim ampliora sibi concredi, tuto queant, iuxta illud Dominicum, *quia in pauca fuisti fidelis supra multa te constituam.* Hęc igitur cum Rex ille identidē animo volutaret, vt non non solum eum præficeret, qui cum dignitate personam Episcopalem sustinere, sed qui etiam pro loci eminentia, cum fructu in excelsiore illa specula collocari posset; hunc Rozrazouium Præpositū tunc Plocensem & Regni Secretarium iudicauit reliquis præferendum. Vehemens enim erat, pientissimo Regi, euidenti indicio, hūc ipsum quem D. Chrisostomus requirit charitatis altiorem verticem in Rozrazouio probauisse; cum inprimis licet extra Episcopale munus, sed tamen erga sibi comissos, latiora quædam dilectionis viscera in illo deprehenderet. Amorem autem sum̄um facile ex eo arguas, quem diuidi quis non patitur, & in plura non diffundit. quod vt faceret Rozrazouius, Præposituram. Cathedralis Vratislauień in Silesia, quam Pij V. Pont. Max. liberalitate consecutus fuerat, haud diu cumPloceń retinere voluit, cum neutris se satisfacere posse intelligeret, nisi alteros dimisisset, & alteros non nisi vehementer diligere non poterat. Ideoque & hanc ipsam Ploceń, ita retinebat vt perpetuo cogitaret, qua ratione ex aulæ occupationibus sese explicare & suis tandem deditus esse posset. Quod ipsum Stephanus Rex, cum non obscurè pro diuino suo ingenio assequeretur, nihilominus in ista

deman-

demandandi Episcopatus deliberatione ipsam quoque Dei dilectionem quæ iam sibi constiterat, sed illustrius adhuc, *an omni occasione coram Deo ambularet & eßet perfectus* ellicere statuit; cum animum viri variis turbationibus per subornatos homines experiri prius voluisset, si quam forte prudentiam filiorum huius sœculi exprimere sibi possent. Verum ille, à recto tramite, & pura in Dei honorẽ intentione ne latum quidem quod aiunt vnguẽ se dimoueri passus est: ita vt nõnullis qui sibi elegantiores & cultiores videri voluerunt, siluestre tum illud videretur vitium, sed quod Regis iudicio magnæ erat fertilitatis indicium. Itaque cum iam satis tentatã haberet viri virtutem, nec vlla ratione posse inflecti experiretur, accito tandem eo Episcopatum ipsi contulit. Gratulabundus sibi quasi & Episcopatui illi, quod incõcussum omnibus Ecclesiæ & Reipub. tempestatibus virum legerit, quem tot machinæ infringere non potuerint, & qui proculdubio perrecturus erat in concredita sibi prouincia idem animi & fortitudinis ostendere. Agnoscere enim erat, sicut ex vngue Leonem, ita ex animi robore inuicto, fratrem vere fuisse Christopheri illius Præfecti Lancicieñ, qui vllis pro patria periculis terreri nescius ad Zauolociam in Moschouia paulo ante ceciderat. Ita tum Stephanus Rex longe illa bellica sua gloria superior, non Rozrazouio sed virtuti honores mandabat, quę pro ipso apud Regem prensauerat & ambierat. Hic ego exclamarem & miseram quorundam temporum conditionem deplo-

deplorarem, quando haud infrequens erat, vocationis eiusmodi facilitatem aliunde deriuari quam vnde deberet. Sed quod alieno dedecore sua ornari perperam soleant; semel iam obducti vulneris acerbitatem, detecta cicatrice, recrudescere in animis vestris non patiar. Suffecerit, aperto hoc vocationis recto & simplici ostio & introitu, iam ad Cathedram seu functionis zelum & scientiam descendere; quæ latius aliquando patet, & circa religionem, disciplinam, libertatum Ecclesiarum tutellam, potissimum versatur. De religionis quidem restitutione, cum illa temporum facies incidisset, vt fœde vbique prostrata iaceret, quid ego potissimum referam? Nam & externa hæc Catholicæ religionis, ritum nempe cultus diuini, passim neglectum; & multis ignorantiæ spinis & vepribus siluescentem, per totam Diocesim ad pristinum decus & frequentationem reuocasse, non minimi res, erat negotij; quanto molestius esse solet otio diffluentes & ignauia torpentes Athletas ad palestram reuocare, quam Tyrunculos in arenam producere. Quis autem ea in re zelus suus fuerit, antelucanæ illæ suæ dum penes Cathedrã esset templi frequentationes, quando signo dato, Canonicos celeritate anteuertere iucundũ inprimis habebat satis ostendunt. atque inibi per totum decantati officij spatium, sic inuicta perseuerantia, vt interim nuspiam non solum corpore verumetiã mente, diuertendũ sibi putaret, nisi attentissime ad illius cantus Ecclesiastici melodiã cõposito & defixo animo, dulciorem illam-

Iam ſpiritualem harmoniam totis præcordiis deguſtaret. Ingeminans illud Pſalmiſtæ. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, exurge gloria mea, exurge pſalterium & cythara.* Ideoque & inſtrumentali muſica impenſius delectabatur, illa nimirum cuius ad Eccleſiam aſsiduus vſus eſſet. Nam ad menſam animi vel aurium cauſa, tunc demũ locus, erat vbi prius prælectionis SS. Patrum ſuauiſsimo concentu Spiritum refeciſſet, eámque ipſam augendę deuotionis & piæ hilaritatis inſtituto, potiſsimum introduxiſſet; quandoquidem paſsim vix aliud, quam Dauidici Pſalmi vel patrij & populares de tempore hymni ad cytharas & tibias cantarentur; quibus ille veteris noſtratium pietatis æmulus, haud ſatis vnquam ſatiari poterat. Huius autem ſuæ Spiritualis & Eccleſiaſticæ iubilationis, inſigne vltimo vitæ ſuæ anno penes Cathedrã reliquit monimentũ: cum organa aliquot millium ſumptu, præſtantiſsimæ melodiæ, & illorum quæ toto in Regno famoſiſsima habentur æmula, conſtrui curauerit. Sed hoc potius ad ornatum & decorem domus Dei pertinet, quem ille tenerrimè & vnice dilexit. Vt nullam fere Eccleſiam in Epiſcopatus ſui bonis reliquerit, quam non vel reſtauratione, vel apparatu & ſuppellectili Eccleſiaſtica, vel etiam externo iſto nitore, altaria nouis imaginibus & auguſtiore, quadam pulchritudine ac variis picturis exornando, cohoneſtauerit. Cathedralem vero ſuam præ ceteris maximè. Cui etiam omne argentum Eccleſiaſticum quo Epiſcopus ad ſacra vtebatur, inſigni opere in Vrbe reno-

uatum, vna cum annulo, quo ipsam sibi subarhauerat dominus, post mortem transmitti fecit. Non commemoro isthic, pretiosam diuersorum colorum & materiarum, sacrorum & altarium suppellectilem, qua hæc sponsa sua olim propè lacera & pauper, cum diuitibus hoc in Regno certare iam potest. Sed quomodo in templis ornandis exhauriri poterat is, qui metuēs forte, cum iam tot liberalitate sua peruagatus esset, ne ipsi similis munificentiæ deesset campus, noua etiam templa à fundamentis excitare perrexerit? vt haberet opinor, quod lautius ornaret, & ingenium Ecclesiastici splendoris auidissimum, in dies magis ac magis exerceret.

Porrò viua ipsa Dei templa, ouile scilicet suum, fœda heresi abominabile, vt nouum quasi nuptiali thalamo præparatum & sponsatum copularet Domino, Deus bone quantum sudatum est ab ipso? qua diligentia & sumptu viros doctissimos submittere, qua cura & delectu exemplares vbique collocare, qua vigilantia & labore scandalosos submouere incumbebat? In eum euentum seminaria fouit: Societatis IESV Patres, Gedanum, in ipsum videlicet non minus omnis septentrionalis maritimæ iactationis, quam multiplicium transmarinarum hæresum, quas fluctus illi Anglici vel Belgici eiecerint portum tutissimum, fundatione pro Collegio facta introduxit, vt sensim animis errantium veritatis lux affulgere inciperet. Hæc cum vbique tentaret, nec illa ommittebat, vt zelo scientiam iunctam agnoscas, quæ ad compescendas

das temulentæ hæresis debachationes pertinerent. Nam cum modestam ignorātiam, verbi diuini culturæ facilem per se & aptam esse intelligeret, superbam autem & ferocem hæresiarcharum proteruiam, quos male pereuntium ruina saginaret, omnem aspernari medicinam probasset, diuersis remediis eius aggrediendæ & sanandæ consilium inibat. Hinc Iurisdictionis Episcopalis authoritate & legum metu, alios in officio retinebat, alios prorumpentes percellebat, alios ferocientes corripiebat. Ciuitatis etiam ipsius Gedaneñ, altiores Spiritus quantum retuderit, vos ipsi meminisse potestis, si Comitiorum Cracouieñ aliqua subit recordatio. Vbi in controuersia Ecclesiarum victos, & tanquam contumaces ad carcerem damnatos benignitate paterna & vere pastorali magis adhuc vincendos putauit, & pœnæ remissionem à Rege & Senatu impetrauit. A quibus tamen quàm filiali obediētia exceptus paulo ante fuisset, commemoratione ista supersederem, nisi summi zeli & pastoralis promptitudinis exemplo, vnà vos priuari nollem. Vt enim D. Chrysostomus ait: *non nauium gubernatorem, non ad bestias dimicantem, non ludo gladiatorio destinatum, non alium quempiam omninò sic ad discrimina & mortes paratum oportet habere animum, ac eum qui prædicandi,* seu quod in idem recidit, Episcopi *officium suscipit.* Id ille sub primū Ser^mi Regis in Suetiā discessum, quem tanquam Episcopus loci in ipsam Ciuitatem comitatus fuerat, atque ibidem pro Ecclesiarum restitutione iure experiebatur, prçclare ostendit: cum interim seu

 ex na-

ex nationū simultatibus seu quapiam alia de causa, quod haud insolitum in illa Ciuitate memoratur, orto tumultu: Caluiniani quibus cruenta Euangelia & sacrificia vbiq; magis arrident, eam occasionem se nactos rati, plebeculæ multorum capitum belluæ, temerè ad arma conuolanti, passim insonabāt, eripi sibi vi & Polonorum armis Ecclesias, eoq; seditionē illam spectare. Ibi cum fœda quoquo versus strages ederetur parum aberat, quin ædibus Episcopi, iam iam vis intentaretur, nisi hospes periculum quod & ipse incurrebat, summo labore auertisset. tamen cum forte fortuna, Episcopo quo in discrimine esset statim nunciaretur: Conuersus ad familiam, vobis certe, inquit, consulite vt potestis, mei causa periculum nemo adeat, hic me præsto habebunt. Et humi ad orationes prouolutus, rogabat Deum vt se dignum martirio faceret. Sed Ecclesiæ vtilitati adhuc seruabatur. Posterioribus enim annis ad triginta fere Parochiales Ecclesias, ingentem sane Cerbero offam, è manibus hæreticorum eripuit: cum quibus tot animarum millia ad gremium Ecclesiæ postliminio vel iam rediisse vel sensim reditura facilè coniicias. Et hæc quidem pauca ex multis de religionis restitutione suffecerint.

Disciplinam vero Ecclesiasticam, tàm secularem quàm monasticam, quo zelo promouerit, nimis locupleti est testimonio Cathedra ipsa imprimis, quam mirificè in sua honestate retinuit, tum per vniuersam Diœcesim varia loca pia, & sexus vtriusq; Cænobia, quorū reformationem

tionem à S. D. N. ſibi comiſſam magnis cum difficultatibus & ſudore obibat. Hæc vt nihil aliud dicam, cum longe diuerſam foris faciem & ſplendorem prætereuntibus exibeant, nunc quam olim: intus quoque longe diſſimiles reperias, illis quos aliquando memineras. *Ille enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum, & ſedebat conflans & emundans argentum, & purgabat filios Leui, & colabat eos tanquam argentum.* Et quidem non tam rigore aliquo, aut ſeueritate nimia, cuius plus ſemper erat in fronte & vultu, quam in opere & effectu; quam admirabili cupiditate animarũ lucri & indefatigabili ad omnes labores deuorandos ſtudio. Cum tacitè quaſi omnibus innuere de ſe videretur illud Diui Pauli. *Ipſi enim ſcitis quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam non in quiete ſumus inter vos, neque gratis panem manducamus ab aliquo, ſed in labore & fatigatione die ac noctu laborantes, ne quem veſtrum grauemus, non quaſi non habeamus poteſtatem, ſed vt noſmetipſos formam demus ad imitandum nos.* Nam certè fuit, quod omnes admirarentur, & imitando effingerent continuum illud & inexhauſtum viri ingenium in ſuſcipiendis pro Eccleſia laboribus in explebilem ſitim in animarum, ſalute & conuerſione æmulanda; in tota denique ritè adminiſtrandi muneris ſedulitate, exactum quendam calculum, dum non ſolum ſpiritualis ſed etiam temporalis diſpenſationis, ſe rationes redditurum cogitaret. Qua ſollicititudine præditũ in promptu erat, in tantis redditibus Epiſc: recte collocandis, eam integritatem & iuſtitiam

am oſtendiſſe, quam omnes quidem adhibendā eſſe intelligimus, ſed vtinam omnes quoque illa vteremur. Nullam quippe rationem carnis & ſanguinis habendam, Canones ſibi permiſiſſe interpretabatur, niſi quam communis Eleemoſinæ miſericordia imponeret. Obuerſabatur oculis morientis in vrbe, vnicus & is quidem pupillus ex fratre nepos. Patrimonio inquit meo ſis contentus, te quicquam intuitu Eccleſ: acquiſitorum attigiſſe, anathema ſit. O vocem noſtro ſeptentrioni vt prope inauditam, ita imitatu digniſimam, quæ etiam in Vrbe quotquot peruaſit rei nouitate quaſi attonitos reddidit. vt nō immerito Deus, corpus etiā ipſius, in fundo Petri quieſcere voluerit, qui tam Apoſtolicè patrimonium Chriſti diſpenſarat. Libertatum porrò Iuriſdictioniſque Eccleſ: in priſtinum ſtatum aſſerendæ, quantus ac qualis vindex fuerit, dicerem copioſiùs, niſi etiam hic nimis recentia exempla extare intelligerem, quæ certe iam poſt fata lydiū lapidem nacta non dubito: Erat enim quod metueret Epiſcopus is, Ezechielis illud. *Pro eo quod fuiſti baculus àrundineus Domui Iſrael, quando apprehenderunt te manu, & confractus es, ecce ego adducam ſuper te gladium meum,* & reliqua quæ minatur. Erat inquam quod circumſpiceret, ne Regale Sacerdotium, varia & multiplici in dies magis ſeruitute circumſcriberetur, vt penitus aliquando reſpirare non poſſet. Idem curæ & ſollicitudinis, circa latifundia Eccleſiæ oſtendit. Ideoque in reſtaurandis & ædificandis Epiſcopatus bonis, ſplendidus & magnificus. vt nihil

ſupra

ſupra, in defendendis accerrimus, in ampliandis ſolertiſſimus, & in his omnibus inprimis conſcientia tutiſsimus. Nam ſi quid interdum peccabatur, culpa ſemper ad alios pertinuit, quam ille haud committebat, ne ſtatim emendaret.

Habuiſtis iam vocationis & functionis Eccleſiaſticæ Idæam & normam: mentem adhuc Senatoriam & in Rempub. animum, ſi velimus penitius introſpicere, apparebit facile, in commiſsionibus & legationibus quas obiuit, luculenter effićta & expreſſa. Fuit autem prima illa pro Comitiis Imperialibus Ratisbonam, à Stephano Rege ipſi iam creato Epiſcopo demandata: in qua eum ſe præſtitit, vt non ſolum Rex ipſe, verum vniuerſa Ill^ma domus Bathoreorum non parum ſe ei debere profiteretur. Excipit hanc Tranſactio Bendzinenſis, cuius fælices & optatos exitus, Roma etiam ipſa in Clementis VIII. Pont. Max. auſpiciis veneratur, qui ibidem Legatus præfuit, & ab eo tempore Epiſcopum hunc, plurimi ſemper fecit. Sequitur Legatio illa matrimonialis, quando piiſsimam illam Annam Reginam noſtram Sereniſſ. Regi ſponſam adduxit & coronauit. In his ſingulis, cum ex animi ſententia cuncta ſucceſsiſſent, difficultatibus autē grauiſsimis planè armata recordamur, quis non ſingularem viri prudentiam & integritatem ſuſpiciat? ac teneriorem illum in patriam amorem admiretur? quem ex togata in armatam quoque Reipub. curam, quantum per munus licebat, transferre non dubitauit. Nam ad ſingu-

los

los ferè Tartaricarum incursionum rumores, aulicum equitatum suum, semper esse in procinctu, iubere consueuerat; & iam moriturus, ad Arcis Camenecensis præsidium armis firmandum, non paruam pecuniam & Armamentarium suum legauit. Vtinam Rozrazoui, plures eo in genere, tui similes Ciues habeamus; non tot nostrates seruos omnis barbaria nobis ostentaret, quot iam ostentat; non tantam vastitatem, sed conquerendi locus is nō est. Properandum enim mihi esse video, ne aliquid vobis vlterius debeam. Aud. vt cum iam Episcopum & Senatorem aspexeritis, Rozrazouium vobis ostendam, id est priuatæ ipsius vitæ honestatem & splendorem.

De nobilitate quidem generis quam plurimùm in omne virtutis studium & exercitium valere compertum est, multus esse nolo, cum satis Rozrazouiorum familia, tàm extra quàm intra Regnum sit per se illustris. Ille quidem vltra natalium splendorem, parentum suorum Comitis Stanislai Castellani Rogoznensis, & matris Miskouiæ, lectissimæ fæminæ, pietatem & deuotionem expressam magis referebat. qui Socolouio nostro teste, non curuarunt genua sua ante Baal, auitæ religionis constantissimi cultores, in pauperes charitate & misericordia planè diffluentes, vt nunquam ferantur, non sibi tantum quod minus mirum, ieiuniorum vsu exercitatis, sed ne quidem filiis suis paruulis panem porrexisse, priusquam pauperes manu sua refecissent. Ex quo hospitalitatis nido, istum Episcopum profectum, in pauperes tota vita hospitalissimum

mum, & aſsiduis eleemoſinis ſeipſo in dies maiorem, ideò in Epiſcopatus commemoratione non attigi, licet vel in hoc ſolo eſſet præſtantiſsimus: cum non pauca per vniuerſum Epiſcopatum hoſpitalia reſtauraſſet, dotaſſet, de nouo etiam ædificaſſet, Montes vt vocant pietatis inſtituiſſet, pupillos & afflictos ſubleuaſſet, egentes turmatím aluiſſet, & in Vrbe præſertim, peregrinorum certo numero, quotidie menſam præberet; externos pariter, ac omnium fere ordinum religioſos, non contemnendis in ſingulos menſes aſsignatis eleemoſinis, iuuaret: hæc inquam cum per totos Epiſcopatus dies ageret, à me tamen hoc loci potius recenſentur, quod hanc virtutem domo ſua hæreditariam quaſi ad Epiſcopatum attulerit, quamuis quod in gleba vbere & fertili tranſlatis plantis accidere ſolet, fælicius multo pululantem, ſed quæ nihilominùs, ad ſuas radices, vnde ſurculus iſte effloruit, iucundius conſpiciatur. Ex iisdem domeſticę pietatis fontibus oriebatur & illud, vt inſtillatum ſibi à parentibus, illum amorē diuinum & præceptorum eius tenacitatem, haud potuerit ſatis toto vitæ tempore, vel meditationibus, vel quotidianis prope Miſſæ Sacrificiis, & aliis Spiritualibus exercitiis, vnquam explere; cum à parentibus præmanſum ſibi, in ſuccū & ſanguinē conuertiſſet Deutoronomij illud: *Eruntq́ verba hæc, quæ præcipio tibi, hodie in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque conſurgens, & ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntq́ & mouebuntur ante oculos tuos, ſcribesq́ ea*

*in limine & oſtiis domus tuæ.* Verè eẽ,vbi negotiis publicis, aut priuatis, vel amicorũ officiis tempus tribuiſſet: haud citius aliò, non ſolum mente, & altioribus ſuſpiriis, ſed etiam ſermonibus reccurrebat, quam ad diligens diuinorum præceptorum examen, ſi contra quod commiſſum,vel forte ommiſſum fuiſſet. His duobus materni lactis alimentis, reliquam ætatem ſaginauit. Nam & adoleſcentiam ex tàm longinquis peregrinationibus & diuturna in Aula Regum Galliæ commoratione intactam & illibatam ſenectuti & tandem morti tradidit. virilem in curia Pij V. Pontificis Maximi,re & nomine pijſſimi, cuius Camerariũ egit, magna virtutum vbertate & prudentia confirmauit; a quo etiam in Gallias ad Carolum IX. Regem miſſus fuerat.Hos demum maturiores annos, totos Eccleſiæ & patriæ dicauit,conſtantia in omni opere ſuo admirabili & minimè fucata ſinceritate. Recordatus illius Eccle: *Non te ventiles in omnem ventum, & non eas in omnem viam, ſic enim omnis peccator probatur in duplici lingua. Eſto firmus in via Domini, & in veritate ſenſus tui & ſcientia, & proſequatur te verbum pacis & iuſtitiæ.* Hinc fiebat,vt paucas ille quidem ſed illuſtres & firmas amicitias coluerit. Adulationis autem omnis ita expers, vt cum tẽperare ſibi non poſſet quin vitia perſtringeret, quos nollet etiam interdum offenderet. Popularis auræ contemptor, quam ſciret ſæpenumerò deterioribus artibus conciliari. In iram aliquantum procliuior, ſed quam profunda humilitate expiabat, vbi deferbuiſſet

ferbuiſſet. Vt illud D. Pauli dicere potuerit. *Gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti.* Namque tot poſtea deprecationibus laborabat apud quem offenderat, vt penè magis ipſa viri tãti, tam demiſſa abiectio doleret, quam ſi quæ fuiſſet iniuria. Quod indifferentèr & ad familiares ſuos transferrebat. Quorum non herilem tantummodo, ſed paternam planè curam agere conſueuerat: non quæ corporis ſolum, competenter, ſed quæ animi diligentiſsime curare & prouidere: otia ipſorum nulla ratione pati: ingenia quæ quis adferret exercere & cultura meliora reddere: rationes ipſorum promouere: merita ſummo iudicio cenſere: ſuæ deníque nationis hominibus externos nunquam proponere: licet & linguarum morùmque multorum peritus, externis quoque delectaretur, & penes ſe foueret.

Iam litteras & litterarũ cultores, quo ſtudio & liberalitate ornarit, longa enumeratione opus eſſet, quos inter & vos ornatiſsimi Academici fuiſtis ſemper, & ſi fata vitam non inuidiſſent magis adhuc fuiſſetis. vt non immeritam quidem, ſed quod nonniſi bonus ager ſolet, cum fœnore gratitudinem veſtram defuncto iam reddatis, cum non ſolum orationum, verũ etiam Eleemoſinæ ſymbola iſta, pia & liberali manu ad altare Deo offertis: quaſi non vniuerſa tantum Academia, ſed ſinguli ex tam longo ordine veſtro, ſuo, & ſtudioſorum omnium Quæſtori, parentare videamini. Porrò in victu & amictu frugalitas ſumma, luxus & ſordes nullæ. Et vt multa

paucis comprehendam, in Epiſcopatu verus Paſtor, in Repub. integerrimus Senator, in Eccleſia ſcientiſsimus Præſul, domi honeſtiſsimus Sacerdos, foris vir grauiſsimus, intùs vir optimus: in ſententia rectus, in iudicio incorruptus, in conſilio candidus, in opere prudens, in verbis conſtans, in factis acer: malis rigidus, bonis benignus: natura & fronte ſeuerior, vita & inſtitutione cultior: Omnis vitij oſor & flagellum, probitatis amator & remunerator: & vltimo tandem vir, cuius vltima primis conueniſſe Deus oſtendit, cum in vrbe, ad eandem plane B. V. M. imaginem, in templo SS. nominis IESV, ante triginta annos primum, & hoc centenario Iubilæo, vltimũ Sacrum celebraſſe ipſum voluerit: & in eodem penitus loco, confeſsione generaliore, peccatorum onus deponere, vbi corporis exuuias tumulo conditurus erat, vt quod ſemper ipſe optarat, inter Sanctæ Vrbis venerandos cineres quieſceret.

Nos autem Audit. ampliſ. ſi corpus tanti viri amplius exoſculari non poſſumus, quod fæliciori ſorte Romanis contigit, vt ad ipſius cadauer accurrentes, virum ipſum, & in eo virtutem & famam viri exoſcularentur: Si deus nobis in patria, loco cinerum ſuorum, animi ipſius verum habitum, ingenij vim, vitæ exempla, laborum fructum, reliquit; vt tantum Epiſcopum & Senatorem, ætas ventura, magis etiam narratura ſit: memoriam certè ipſius qua par eſt præſenti beneuolentia & pietate complectamur: & lachrymas quidem nullas, ſed vota potiùs fun-

ùs fundamus, vt Deus præpotens quem Rozrazouio huic, dederat in Ecclesia zelum, in Repub. integritatem, in vita priuata castitatem & sanctimoniam, cuncta hæc ad præclarissima posterorum ornaméta perpetua esse velit. Cætera autem, si quæ fuêre næuorum similia, quæ iam hoc Sacrosancto Reuerendis. Pręsulis Sacrificio expiãtur, sint nobis omnibus incitamento, vt quam minimis vrgeri studeamus. Cum si quemlibet omnia opera sua subuereri cum D. Paulo tutius sit, inter quantumuis exaggeratas virtutes, Dei tremenda iudicia humiliter nobis sint expectanda. Ille enim est qui per Hieremiam dicit. *Quis est similis mei, & quis sustinebit me, & quis ipse pastor qui resistat vultui meo?* Sed tamen Pastor, o Dñe. *Auris audiens beatificauit illum, & oculus videns testimonium reddidit illi, eo quod liberasset pauperem vociferantem & pupillum cui non erat adiutor, benedictio pērituri super eum veniebat, & cor viduæ consolatus est. Tu autem Deus noster, suauis, & verus, & patiens es, & in misericordia disponis omnia, miserere.*

DIXI.